

vixerint, Roman. 8. vers. 13. Et neque scortatores, neque adulteri, neque idololatræ &c. regni Dei hæreditatem adipiscuntur, 1. Corinth. 6. v. 9. 10. At quidam renati lapsi, fuerunt facti scortatores & adulteri, & idololatræ, ut constat ab exemplo Davidis & Salomonis. E. Quicunque autem est alienatus ab hæreditate regni Dei, is est incredulus. Ex quibus non obscurè colligitur, quòd excusio fidei justificantis, gratiæ Dei, justitiæ & æternæ salutis, sit perpetuum & inseparabile effectum flagitorum, contra conscientiæ dictamen nequiter admissorum, nisi deinde peccator resipiscat.

65. *Minor* confirmatur inde; quandoquidem quicunque baptizati estis in Christum Jesum, in mortem ejus baptizati estis, inquit Paulus, Rom. 6. v. 3. Et quicunque baptizati estis, Christum induistis, Gal. 3. v. 27. Quicunque verò ipsum induerunt, illi habent fidem salvantem, utpote per quam inhabitat in cordibus eorum, Ephes. 3. v. 17. Si igitur infantes, per usum sive circumcisionis in V. sive baptismi in N. T. in fœdus Dei recepti, in infantia ex hac vitâ migrant, absque omni dubio æternum salvantur. Qui enim habet Filium, habet vitam, 1. Joh. 5. v. 12. Atque hæc sunt argumenta, quibus & secundum thema volui-  
mus demonstrare; aliis prætermisssis.

66. Unde constat, quod quidam nostrorum Theologorum, quando tribuunt infantibus peccata *actualia*, loquantur *laxè*, intelligentes vivacissimam & operosissimam peccati originalis indolem, à quâ non absint *motus primi vitiosi*. Quando verò cum August. & aliis detra-  
hant iisdem peccata *actualia*, loquantur *presso*, intelligentes flagitia e-  
normia, ab usu liberi arbitrii profecta. Confer D. Hutterum in L. C.  
cap. i. de peccatis actualib. p. 348. & artic. i. in Formul. Concord. p. 91.  
& in tractatu Theol. cont. Irénicum Parei, c. 28. art. 9. p. 322. Atque  
hæc dicta jam sufficient. Deo sit laus, honor & gloria in omnia  
seculorum secula. Amen.



DISPU-